

No. 125. 1449. 18. Dec.

*Cardinal Dominicus gestattet in Folge päpstlichen Auftrags den Bürgern der Stadt Pirna, auch bei Anwesenheit kirchlich gebannter Personen in der Stadt in den Kirchen Messen zu hören und gottesdienstlichen Handlungen beizuwohnen, solange jene Personen selbst vom Eintritt in die Kirchen ausgeschlossen bleiben.*

Dominicus miseratione divina tituli sanctae Crucis in Iherusalem presbyter cardinalis dilectis in Christo universis civibus et incolis utriusque sexus opidi Pernensis Mixinensis diocesis salutem in domino. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod cum in opido Pernensi praedicto quaedam inoleverit consuetudo seu potius corruptela, videlicet quod quotienscumque contingit ad dictum opidum supervenire excommunicatos aliquos a iure vel ab homine seu in dicto opido denunciatos sive ingrediantur ecclesias ipsius opidi aut non ingrediantur presbyteri dicti opidi quandoque per triduum quandoque vero per biduum aut saltem per unam diem a divinorum officiorum celebratione abstinent; cum autem huiusmodi consuetudo seu corruptela in magnum periculum animarum Christi fidelium saepenumero vergat ac Christi fideles propterea a devotione subtrahantur, supplicari fecistis humiliter, vobis super hiis per sedem apostolicam misericorditer provideri. Nos igitur ut erga sedem praefatam eo amplius crescat vestrae devotionis affectus, quo eam benigniorem inveneritis, faciendo vobis gratiam per quam salutem et quietem animarum vestrarum deo propitio consequi valeatis, vestris supplicationibus inclinati auctoritate domini papae cuius poenitentiariae curam gerimus et de eius speciali mandato super hoc vivae vocis oraculo nobis facto, ut non obstante dicta consuetudine seu potius corruptela in opido vestro praedicto hactenus observata liceat vobis et cuilibet vestrum in ecclesiis ipsius opidi excommunicatis et interdictis ab ecclesiis ipsis prorsus exclusis missas et alia divina officia audire eisque interesse et illa per proprios ipsius opidi vel alios sacerdotes ydoneos facere celebrari sine iuris alieni praeiudicio, dummodo causam non dederitis interdicto et id vobis specialiter non contingat interdicti ac interdictum ipsum auctoritate apostolica positum aut confirmatum non fuerit, vobis et cuilibet vestrum ac presbyteris praedictis tenore praesentium indulgemus. Datum Romae apud sanctum Petrum sub sigillo officii poenitentiariae XV. Kal. Januarii pontificatus domini Nicolai papae V. anno tertio.

A. Fernandi.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Pirna mit dem am Rande beschädigten Siegel an hänfener Schnur.

Durch Urkunde vom 1. Juni 1450 bestätigte auf Nachsuchen des Bürgermeisters von Pirna Gunther von Grisslau (welcher validus et famosus genannt wird) B. Johann von Meissen die inserirte Urkunde des Cardinals Dominicus ob reverentiam sanctae sedis apostolicae, absque tamen nostro seu inferiorum praelatorum nostrorum praeiudicio aliquali. — Orig. im Rathsarchiv zu Pirna; das Siegel ist abhanden gekommen.